

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**M. Tullii Ciceronis XII. Orationes Selectae, juxta
Recensiones optimas emendatae Et cum Notis perpetuis
ac luculentis instar Commentarii ad modum**


Cicero, Marcus Tullius

Lipsiae, 1735

VD18 12833770

Argumentum Orationis pro Archia.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18041



M. TULLII CICERONIS
ORATIONVM XII.
SELECTARVM
LIBER.

ORATIO I.

quae est pro
AVLO LIGINIO AR-
CHIA POETA.

Argumentum Orationis pro
Archia.

Syllani & Carbonis lege ciues Romani habebantur, qui adscripti essent foederatis ciuitatibus; Si tum, cum lex ferebatur, domicilium habuissent in Italia, ac intra LX. dies apud Praetorem professi essent.

Aulus Licinius Archias, Poëta & homo eruditus, cum ob ingenium & doctrinam multis praeclaris viris ebarus esset, versareturque in domo & familia Lucullorum, auctoritate & gratia L. Luculli, cum quo ex Cilicia decedens Heracleam, foederatam Romanis ciuitatem venerat, impetravit, ut in eam ciuitatem adscriberetur, & praesente Lucullo adscriptus est.

A

Sed

2 ARGUMENT. ORATION. PRO ARCHIA.

Sed quia cum eodem aliquamdiu Roma abfuisse sit, nec eius nomen inueniretur in Tabulis Censorum, nec Heracleensium, delatus est a Graccho, quasi se falso pro ciue gereret.

Cicero hunc Archiam, olim praeceptorem suum defendit, in magno doctorum studiisque fauentium concursu, apud Praetorem; & dum hoc agit, pereleganter laudat studia litterarum.

Rationes, quibus eum defendit, sunt: quod sit adscriptus; quod Lucullus, & Legati Heracleenses id confirmant; quod tabulae Heracleensium, unde id constaret, Bello Italico exustae, quod professus sit apud Praetorem Metellum; denique eum purgas, quod a Censoribus non sit census.

Stylus seu dicendi character multum ad sublimitatem accedit, quia in laude studiorum multum versatur.

Genus tamen totum est Judiciale, et si multum etiam habet a Demonstratio. Est enim accusator, Gracchus; est reus, Archias; est patronus, Cicero; est Judex; & laus Archiae & Poëseos non nisi iudicio comparata, & is finis est.

Status causae est: quod Archias sit Ciuis Romanus.

Habet haec Oratio Exordium, Narrationem, Confirmationem, admixta breui Confutatione, & excursu ad laudem personae accommodata & Confirmationi mire consulente; denique etiam Perorationem.

Oratio habita est anno V. C. DC XII. M. Pupio Pisone & M. Valerio Messala Coss. annum agente Cicerone XLVI. & Archia LVIII.

Euentus sine vlla dubitatione fuit felix, & Archias pro Ciue habitus.

M. TVL.



M. TULLII CICERONIS
ORATIO I.
PRO A. LICINIO
ARCHIA POETA.

CAPVT I.

Si quid est in me ingenii¹, Iudices, quod sentio quam sit exiguum, aut si qua² exercitatio dicendi, in qua me non inferior³ mediocriter⁴ esse versatum⁵, aut si huius rei⁶ ratio⁷ aliqua ab optimarum artium studiis & disciplina⁸ profecta⁹, a qua ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruisse¹⁰: earum rerum omnium vel imprimis¹¹ hic Aulus Licinius frumentum¹² a me repetere¹³ prope suo iure deberet. Nam quoad longissime¹⁴ potest mens¹⁵ mea respicere spatum praeteriti temporis, & pueritiae memoriam¹⁶ recordati ultimam¹⁷, inde

¹ Quod si ego in studiis aliquid hactenus profeci. ² Si aliqua mihi est peritia in dicendo. ³ nego. ⁴ quodammodo. ⁵ exercitatum. ⁶ huius dicendi peritiae & artis. ⁷ modus, facultas, certa confirmatio, *ein recht Geschickte*. ⁸ Philosophia. ⁹ est, profluxit. ¹⁰ quo ego delectatus sum iam usque a pueritia mea. ¹¹ prae caeteris omnibus meis doctoribus. ¹² emolumentum, commodum. ¹³ rursus petere, vindicare sibi. ¹⁴ in quantum, *sie weit zurücke*. ¹⁵ memoria. ¹⁶ tempus. ¹⁷ primum.